



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XIV. De Precariis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63440)

etiam argentea, uti calices, pocula ordinaria, item ornamenta, ob vetustatem vel incommoda vel deturpata, aut fracta &c. permutari cum novis & melioribus, vel conflari, ut recentia & commodiora inde efficiantur, saltem vi consuetudinis; non verò illa, quæ vel ratione artis, vel materia, vel alterius qualitatis reputantur esse pretiosa, & instar thesauri à prædecessoribus habita vel aservata sunt.

## TITULUS XIV.

### *De Precariis.*

#### SUMMARIUM.

1. *Quid sint Precaria, & quid Precarium.*
2. *Quomodo differat inter se.*
3. *An ad Precarias requirantur solemnitates.*

**N**unc sequuntur varii Contractus, per quos alienationes fieri contingit, & quorum generalia principia jam tradidimus ad tit. de Pactis in lib. I. Primus, qui occurrit, est *Precaria*, seu *Precaria*, ac definitur esse contractus à Jure Canonico inventus, quo alicui ad preces conceditur res Ecclesiastica in usumfructum ad dies vitæ vel ad certum tempus, ea lege, ut singulis annis petatur renovatio hujus concessionis. Communis ex can. 3. 5. caus. 10. q. 2. c. 1. b. t. Econtra *Precarium* dicitur esse contractus (juxta alios pactum gratuitum & legitimum) à Jure Civili inventus, quo alicui ad preces gratis

con-



ceditur aliqua res in usum, ita tamen, ut pro libitu  
semper revocari possit. *c. fin. eod. l. 1. 4. & 6. ff.*  
*de Precario.*

2 Dico 1. Precariæ & Precarium differunt in  
multis. 1. Precariæ non possunt pro libitu con-  
cedentis revocari. *c. fin. cit.* bene tamen Precari-  
um, licet res sit concessa ad certum tempus, vel  
adjectum pactum de non revocando ante lapsum  
certi temporis; quia revocabilitas est de essentia  
Precarii. per *Jura citt.* & hinc differt à Donatio-  
ne. 2. Precarias accipiens tenetur præstare cul-  
pam levissimam, per quam Ecclesiæ intulit dam-  
num in re sibi concessa, & ad hoc resarciendum  
Ecclesia habet *actionem Precariarum.* per *can. 72.*  
*caus. 12. q. 2. & l. 5. §. 2. ff. Commodati.* Eon-  
tra Precarium accipiens solum tenetur præstare  
culpam latam. *l. 2. 8. §. 3. ff. de Precario.* Unde  
concedenti parit *interdictum de Precario*, vel *con-*  
*ditionem incerti* ad damnum per culpam latam sibi  
illatum resarciendum. 3. In Precario nulla mer-  
ces intervenire potest, nec renovatione opus est,  
bene tamen in Precariis, licet plerumque gratis  
constituatur.

3 Dico 2. In primæva constitutione (non autem  
in renovatione) Precariarum præter justam cau-  
sam necessariæ sunt solennitates, alias ad aliena-  
tionem rerum Ecclesiasticarum requisitæ. per *Ex-*  
*trav. Ambitiosa. de reb. Eccl. alien. int. comm.*  
quia talis constitutio in effectu est alienatio rei  
frugiferæ immobilis, vel saltem locatio ultra tri-  
ennium.

TITU-